

abstinerent. Aliquanto postea severior lex Calpurnia et pecunia multavit et in perpetuum honoribus iussit carere damnatos; habebant tamen licentiam Romae morandi. Postea, iam damnatis Sylla et Autronio, poenam de ambitu graviolem consules C. Antonius et Cicero sanxerunt, ut praeter haec veteribus legibus constituta etiam exilio multarentur. 5

Et locus est ipse non tam ad inflammandos calamitosorum animos, quam ad consolandos accommodatus. 10

... Neapolitanam civitatem procul fuisse ab omni contagio illius coniurationis ac propterea delectam P. Syllae, ut ibi non sceleratus lateret, sed miser conquiesceret.

§ 18. Veniebat enim ad me et saepe veniebat Autronius. 15

Salubriter institit huic parti, multis et inpensis precibus auxilium defensionis commemoratis amicitiae veteris officiis Autronium postulasse multosque alios ad hoc impetrandum pro se deprecatores adhibuisse nec tamen extorsisse, ut patronus ei et defensor adsisteret: ne hoc dicere adversarius posset: 'Idcirco Autronium non defendisti, quod non satis egerit, ut a te defenderetur.' Sed si hoc impensissime deprecatus est nec impetravit, videri iam potest idcirco ad defendendum Syllam venire, quod de eius innocentia certus sit. 25

§ 21. Quod tandem, Torquate, regnum? Consulatus, credo, mei; in quo ego imperavi nihil.

Cumulaturus invidiam Torquatus in personam M. Tullii et hoc dixerat, quodam illum spiritu velut regiae potestatis exposcere, ut Sylla innocens iudicetur. Itaque ... 30

